IOHANNES CHRYSOSTOMUS
Österreich, Ende 12. Jh.
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26104
Copyright: Admont, Benediktinerstift



scientes quia in multiloquio non effugietur peccatum. et quia
etiam de ocioso sermone reddituri sunt racionem. Isti
igitur sano oculo cordis uidentes ambulant ne offen
dant. proficiscuntur ut proficiant. tolerant ut perueniant.
perueniunt ut gaudeant. Hec spes perducit eos usque
ad rem. Nam iste qui sic clamabat ut mihi cantauimus. ex
audi me domine quia suauis est misericordia tua. secundum mul
titudinem miserie tue respice super me. satis de deo presu
mebat. sperabat. credebat. rogabat impetrabat. Non dixit
exaudi me quia talia sunt merita mea. nec dixit precesserunt
bona facta mea exaudi. sed uide quid ait. tanta suaui
tate repletus. delectatus odore illo suauitatis. quia xpi
bonus odor in illo iam erat. in spiritu uaticinationis clama
bat dicens. Exaudi me domine quia suauis est misericordia tua. Non
audeo iactare merita mea. sed non taceo graciam tuam.
Quo suauitas que est in deo nostro dulcis est. nutrit. fouet. defen
dit. et fortificat. consolationem prestat. benignitatem non
negat. tolerantem facit iustum. sustinentem. humilem.
benignum. largum. sobrium. castum. karitate plenum. hos
pitalitate preditum. prudentia ornatum. temperantia
clarum. fortitudine firmum. iusticia libratum. Gaude
ant qui ista pulchritudine tantarum uirtutum uestiti sunt.
Ista igitur suauis misericordia perducit usque ad presentiam dei. Nec
ita unusquisque sibi blandiatur de misericordia dei ut cogitet. quia non
erit iudicium. Erit et iudicium. Nam quid clamabat in
psalmo ore prophetico sanctus dauid. Misericordiam et iudicium

sapore sancto reple
ta est